



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Cui conueniat bonum per essentiam. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

hilominus dicimus, Deum esse bonum per essentiam suam: eodem igitur modo res omnis creata diceretur bona, atque Deus ipse.

CAPUT II.

Exponitur difficultas prædictæ sententiæ.

⁴ *De quocumque bono, quod est in re, per se bonum.*
Opinio præcedens hoc modo explicata difficultate non caret. Primo quoniam bonitas est passio entis, & cum eo convertitur: ergo de quocumque vere enunciatur ens prædicari poterit bonum: de qualibet autem essentia antequam existat vere enuntiat: ens: ergo & bonum. Copula namque harum propositionum non significat existentiam, sed connexionem ex natura rei inter subiectum, & prædicatum, ac proinde de rebus nondum existentibus talia enuntari possunt.

Quo pacto bonitas non sit de essentia rerum.
 Secundo, ut probabitur 3. p. q. 17. art. 1. existentia idem omnino secundum rem est cum essentia: si ergo res sunt bonæ per existentiam, erunt etiam per essentiam re ipsa bonæ, tamen si bonitas ab essentia, & existentia ipsarum per modum passionis sola ratione distinguatur: nisi quod quemadmodum res antequam existat actu, dicuntur esse possibiles secundum eandem existentiam sub esse possibili, ita etiam bonitas ante existentiam, rei ipsi conveniet sub esse tantum possibili: cumque verbum, *est*, in illa propositione, *Homo est bonus*, aut *equus est bonus*: non denotet existentiam, sed connexionem extremorum, efficitur de homine, & de equo antequam existant, prædictam propositionem enuntiare posse. Porro sicut quæcumque essentia creata, quamvis cum existentia idem omnino sit secundum rem, quia tamen ab alio pendet, antequam sit, & postquam existit, potest non existere, ideo peculiariter ratione dicitur existentia, non esse de essentia illius formaliter: ita quoque debemus dicere creaturæ sic esse bonam per suam essentiam, ut interire possit, & corrumpi, atque ita aliquid malum ei oppositum sit, ut sequenti capite magis explicabitur.

Intra.
 Tercio eadem sententia difficilis est, quia ut dicemus disp. 79. Deus ita amat creaturas secundum esse possibile amore simplicis complacentiæ, ut eas necessario diligat: est igitur in illis ante existentiam, etiam futuram, aliqua bonitas, in quam actus divinæ voluntatis feratur. Fateor nihilominus ex sententia S. Thomæ creaturas possibiles non diligere à Deo, sed solum aliquando futuras, quia ratione cum inferioribus quæst. 19. art. 3. docuisset, creaturæ à Deo libere diligere, necessario tamen cognosci. statim in solutione 6. inter scientiam, & dilectionem discrimen assignat, quia scilicet, res cognoscuntur à Deo, quatenus sunt in ipso, diliguntur vero quatenus sunt in seipsis: & quia in Deo necessario sunt, sed in seipsis non necessario, ideo necessario cognoscuntur, sed non necessario diliguntur. Id quod verum non esset, si res diligerentur à Deo secundum esse possibile. Hoc enim ita necessarium est, & in Deo necessario repræsentatur, sicut entitas, & veritas rerum, ac proinde eodem modo diligerentur, sicut cognoscuntur. Idem omnino docuit art. 6. illius q. 2. & 1. contra gent. c. 8. in vlt. ratione. Concordat etiam doctrina huius articuli, cum dicit, in rerum essentia, *ante* aduentum existentie non esse aliquam bonitatem. Consentit etiam Ferrariensis in eo cap. 81. & 4. contra gent. c. 13. §. dicitur 2. quamvis enim cap. 75. §. Respondetur, illius primi libri dicat creaturas diligere à Deo in seipsis, quatenus etiam se diligit, idemque repetat 4. con-

Vasquez in 1. part. Tomus I.

tra gent. cap. 13. §. Non obstant: mea tamen sententia non loquitur de creaturis secundum rationes proprias, & formales obiectas diuino intellectui, sed de creaturis, quatenus dicuntur esse ipse Deus, aut virtute in ipso contineri. Quo pacto lapis in Deo dicitur vivere vita Dei, ut disput. 70. videbimus. Hoc etiam sensu dixit S. Thom. infra q. 19. artic. 6. ad 2. Deum non velle omne bonum, nisi quatenus vult seipsum, in quo virtute est omne bonum. Quid vero in hac re sentiat Caietanus, dicendum est infra disp. 79. & disp. 144.

S. Thomæ.
 Hæc tamen doctrina difficilis videtur. Nam quamvis res antequam existat, non habeat actum bonitatem, sicut non habet esse actum, neque quidquam aliud: nihilominus dici debet quæcumque res bona simpliciter, etiam secundum esse possibile, quia verbum, *est*, in ea propositione non significat existentiam prædicari in subiecto, sed conuenientiam, & connexionem cum illo: & quemadmodum essentia rei secundum esse possibile simul intelligitur cum existentia etiam possibili, imo re ipsa idem cum ea est, sic etiam intelligitur bonitas: quare nihil obstat, quo minus Deus diligat res solum possibiles: quinimo voluntas Dei efficax, quæ vult rem aliquam esse futuram, non supponit existentiam futuram tanquam obiectum, in quod feratur per modum dilectionis, sed solum supponit possibilem. Posterius enim est, rem esse futuram, quam Deum illam velle esse futuram. Cum ergo intelligitur Deus velle rem esse futuram, iam intelligitur illam diligere, ut possibilem.

Ante exist. sententia rei sunt in se, & consequenter bona. Essentiam Caietan.
 Postremo contra superiorem sententiam hæc ratio potest confici. Bonitas rei idem est, quod integritas illius: omnis autem essentia antequam existat intelligitur integra, aut seipsa, si simplex sit, aut partibus essentialibus, ut materia & forma, si sit composita: ergo per se ipsam ante existentiam bona est. Huic rationi Caiet. in hoc art. respondet, duobus modis rem dici bonam. Primum secundum quid, atque hoc modo quæcumque essentiam, antequam sit in rerum natura, esse bonam per seipsam: Deinde simpliciter, sic autem nunquam esse perfectam, & bonam, donec sit in rerum natura: quia propter esse existentiam, esse de integritate naturæ, & ad bonitatem illius hoc posteriori modo pertinere: non tanquam partem essentia, sed ut actum illius: & cum dicitur essentia alicuius rei perfectior alia non debet ita intelligi (inquit Caietanus) quasi essentia alicuius rei per se ipsam sit bona, absque aliquo alio, nisi tantum, ut ipse ait, radicaliter. Cum vero negat S. Thomas, rem aliquam creatam esse bonam per suam essentiam, intelligit simpliciter, & sufficienter absque alio.

Reijciat.
 Verum ex ijs, quæ diximus, perspicue patet, hanc distinctionem Caietan. nullius esse momenti: nam rerum essentia siue per seipsas, siue per aliquid aliud sint bonæ, absolute, & simpliciter dicendæ sunt bonæ, antequam existant. Quia verbum, *est*, in propositione non significat existentiam. Esse autem per seipsas bonas rerum essentias simpliciter ex eo probatur, quia simpliciter entia dicuntur, bonum autem, & ens reciprocantur.

CAPUT III.

Cui conueniat bonum per essentiam.

Respondeo igitur ad quæstionem propositam, esse bonum per essentiam quodammodo solum à Deo conuenire, & quodammodo etiam creaturis:

Deus, quacumque bonitate est bonus per essentiam non sic creatura.

turis: id quod explicio in hunc modum. Primo non solus Deus per suam essentiam absque vllō alio à se realiter distincto est bonus bonitate, quæ consequitur essentiam, sed quacumque bonitate: creaturæ vero licet sint bonæ per suam essentiam, hoc est, non addito aliquo, quod realiter ab ipsis distinguatur, eo genere bonitatis, quod consequitur essentiam; non tamen sunt bonæ per suam essentiam, quacumque bonitate: perficiuntur enim accidentarie aliquo distincto à sua essentia, ut superius explicatum est: Deus autem hoc modo non perficitur, quia quicquid in Deo est, de essentia illius est.

Discrimen inter Dei, & creaturarum existentiam.

9

Secundo, quæcumque res creata etiam spiritalis, tamen si eius essentia, & existentia non distinguantur ex natura rei, potest non existere, & interire non discessu, & secretionē ipsius esse, & essentia, quæ iunctione aliqua ante teneantur, sed quod ex Dei voluntate efficiente pendeat, ut inferius disput. 182. dicemus. Quare actu existere, non debet numerari à nobis inter prædicata creaturæ, quæ nostro modo intelligendi, essentialiter, dicuntur, atque necessario, & semper de ipsa prædicantur. Homo namque non modo intelligitur à nobis secundum essentiam, non intellecta existentia ipsius, verum etiam intelligere possumus, essentiam hominis corrumpi, interire, & non existere. Deo autem ita necessario convenit existere, ut quamvis nostro modo intelligendi eius existentia ab essentia distinguatur, sicut etiam distinguuntur attributa, & personæ: tamen re ipsa non possit non existere, atque adeo de eius essentia nequeat enuntiari, non esse: quia de causa existentia Dei dicitur esse de essentia illius, sicut etiam attributa, quamvis ab ea ratione distinguantur, eo quod re ipsa ita eam comitentur, ut implicet contradictionem sine illis esse.

Idem est discrimen inter creaturarum, & Dei bonitatem.

Tertio ex his colligitur, Deo peculiari quadam ratione convenire, esse bonum, quia creaturis non convenit primo etiam illo genere bonitatis quod consequitur essentiam. Deus enim ita est bonus, ut sicut eius essentia non potest non existere, ita quoque eius bonitas non possit actu ipsi non inesse. Quo circa non tantum est necessaria hæc propositio, *Deus est per essentiam bonus*, si particula, *est*, denotet connexionem, sic enim necessaria etiam est de quacumque re creata, verum etiam si particula, *est*, significet existentiam: quo pacto nulli creaturæ convenit, per suam essentiam esse bonam. Sicut enim quæcumque creatura potest non esse sic etiam potest non habere actu bonitatem.

Bonitas Dei nulla malitia opponitur.

Quarto ex eodem principio inferitur bonitati Dei re ipsa nullam malitiam opponi, cuius essentia ipsius non possit non esse: creaturæ autem bonitati opponi malitiam, quæ est corruptio, aut interitus ipsius substantiæ: hac enim sublata omnis rei bonitas de medio tollitur. Ex quibus liquet quæ ratione proprium sit Dei, esse bonum per suam essentiam.

ARTICULVS IV.

Utrum omnia sint bona bonitate diuina.

34
a. 2. q. 27.
art. 3. c. 1.
concl. 41.
Et veritas, q.
1. art. 4. c.
opus. 72. q. 6.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod omnia sint bona bonitate diuina. Dicit enim Augustinus 8. de Trinit. Bonum hoc, & bonum illud: tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bo-

ARTIC. IV.

num, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni, sed vnumquodque est bonum suo bono, ergo vnumquodque est bonum ipso bono, quod est Deus.

Lib. 8. r. 3.
circa p. 12.
1. m. 3.

2. Præterea, sicut dicit Boethius libro de Hebdom. omnia dicuntur bona inquantum ordinantur ad Deum, & hoc ratione bonitatis diuinæ: ergo omnia sunt bona bonitate diuina.

In lib. An o-
mnis ens sit
bonum, an-
te med.

Sed contra est, quod omnia sunt bona inquantum sunt: sed non dicuntur omnia entia per esse diuinum, sed per esse proprium: ergo non omnia sunt bona bonitate diuina, sed bonitate propria.

Respondeo dicendum, quod nihil prohibet in his quæ relationem important, aliquid ab extrinseco denominari: sicut aliquid denominatur locatum à loco, & mensuratum à mensura. Circa vero ea, quæ absolute dicuntur, diuersa sunt opinio. Plato enim posuit omnium rerum species separatas, & quod ab eis indiuidua denominantur, quasi species separatas participando, ut puta quod Socrates dicitur homo secundum ideam hominis separata. Et sicut ponebat ideam hominis, & equi separatam, quam vocabat per se hominem, & per se equum, ita ponebat ideam entis, & ideam vniuersi separatam, quam dicebat per se ens, & per se vnum, & eius participatione vnumquodque dicitur ens, vel vnum: hoc autem quod est per se ens, & per se vnum, ponebat esse summum bonum, & quia bonum conuertitur cum ente, sicut & vnum: ipsum per se bonum dicebat esse Deum, à quo omnia dicuntur bona per modum participationis. Et quamvis hæc opinio irrationalis videatur quantum ad hoc quod ponebat species rerum naturalium separatas per se substantes, ut Aristoteles multipliciter improbat: tamen hoc absolute verum est, quod aliquid est primum, quod per suam essentiam est ens, & bonum, quod dicimus Deum, ut ex superioribus patet.

Lib. 1. me-
taph. apud
Arist. 12. r. 2.
6. 1. m. 3.

huic etiam sententiæ concordat Aristoteles: A primo igitur per suam essentiam ente, & bono vnumquodque potest dici bonum, & ens, inquantum participat ipsum per modum cuiusdam assimilationis, licet remote, & deficienter, ut ex superioribus patet. Sic ergo vnumquodque dicitur bonum bonitate diuina, sicut primo principio exemplari, effectiuo, & finali totius bonitatis. Nihilominus tamen vnumquodque dicitur bonum similitudine diuinæ bonitatis sibi inhaerente, quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsum: Et sic est bonitas vna omnium, &

Lib. 3. meta. 2.
textu. 10.
vsque ad fi-
nem lib. 10.

qu. 2. art. 3.

qu. 4. art. 3.

& etiam multarum bonitates. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Conclusio est: *Quicumque res dicitur bona bonitate diuina sicut primo principio efficienti, exemplari, & finali totius bonitatis, formaliter vero dicitur bona similitudine diuine bonitatis sibi inherente, quæ est formalis vnius cuiusque bonitatis.*

Dubitatio circa articulum.

HAc vnica dubitatione, & mentem S. Thomæ in hoc articulo, & doctrinam illius examinabimus. Est autem dubitatio, an res aliqua dicatur bona, extrinseca solum denominatione ex bonitate alterius. Sententiam S. Thomæ in hunc modum explico. Nulla res dicitur bona à bonitate diuina tanquam à forma denominante, sicut paries dicitur dexter à dextera parte animalis, sed quælibet res dicitur bona bonitate sibi inherente, quæ est participatio quædam diuine bonitatis, per quam ei quodammodo assimilatur. Hanc autem sententiam S. Doctor sic probat: quamuis ea, quæ relate dicuntur, possint ab extrinseco aliquo, veluti à forma, denominari, vt in exemplo proxime allato constat, ea tamen, quæ absolute talia dicuntur, nequeunt ab aliquo extrinseco veluti à forma denominationem accipere: in quo S. Doctor reprehendit Platonis opinionem, qui teste Arist. i. Metaph. text. 6. posuit ideas rerum quasi species communes separatas, à quibus indiuidua denominarentur, sicque asserbat Socratem hominem denominari ab homine quodam per se separato, qui omnium esset idea: reprehendit igitur Platonem, non quod poneret principium ad aliquid primum, quod per suam essentiam esset ens, & bonum, qualis est Deus, sed quod diceret rem omnem indiuiduam talis, aut talis naturæ ab eo primo ente, veluti à forma denominari. Concedit vero Sanctus Thomas, denominationem absolute posse ab aliquo provenire, tanquam à principio efficienti, aut exemplari: quod perinde est, ac si diceret, posse esse principium efficiens, & exemplare alicuius formæ, quæ inherens subiecto, ipsum denominat. Ideo asserit res omnes bonas appellari à bonitate sibi inherente, sicut à forma, à bonitate autem Dei, sicut ab efficienti, exemplari, & fine.

Verum sententia S. Thomæ faciliori ratione confirmari posset hoc modo, tametsi denominatione relatiua possit ab aliquo extrinseco tanquam à forma desumi, & quamuis denominatio boni sit relatiua, ea tamen non potest nisi rationem alicuius intrinseci rebus conuenire: neque enim omnis relatiua denominatio ab extrinseco desumitur, sed sunt plures relationes, quæ in re, quæ denominant, postulant aliquid absolutum, & reale: quales sunt omnes primi generis assignati ab Arist. 5. metaph. c. 15. & alia plures: talis est relatio bonitatis, quæ consistit in integritate, & consequitur naturam entis. Sicut enim res substantialiter, aut accidentaliter nequit integrari, nisi rebus inherenter, sic denominatione illius non potest à sola extrinseca forma desumi. Idem dico de bonitate rei, quæ est perfectio illius ex coniunctione cum fine: hæc enim non sumitur solum ab ipso fine, sed à natura, & qualitate rei simul coniunctæ cum fine. Est tamen quædam acceptio bonitatis cuius denominatione in aliquibus rebus potest ab alterius forma, & bonitate derivari huiusmodi est bonitas conuenientie vnius rei

Vasquez in 1. part. Tomus I.

cum alia, quæ, vt d. 23. notauimus, non est passio entis, neque in omnibus rebus reperitur. Sunt enim nonnullæ, quæ ratione sui non sunt alteri conuenientes, sed ratione effectus, quem producant: quo pacto Sol est bonus frigiditati ratione caloris, quem efficit in eo, & quamuis hæc bonitas, quæ est relatio conuenientie, esset relatio rationis, & extrinseca denominatio in vniuersum, tamen non eodem modo in omnibus reperiretur. Nam quædam res sunt bonæ, & conuenientes alteri secundum se, non ratione alicuius effectus producti, quare primarie dicuntur bonæ: quædam vero sunt conuenientes ratione effectus ac proinde secundarie dicuntur bonæ: quæ etiam ratione 1. 2. q. 20. art. 2. dicimus, malitiam moralem, quæ in vniuersum est relatio rationis, & extrinseca denominatio, primarie reperiri in aliquibus operationibus humanis, & secundarie in aliis.

Ex his omnibus licet colligere, denominationem sancti, & iusti apud Deum talis esse naturæ, vt nullus possit iustus appellari ab alterius iustitia, & sanctitate tanquam à forma denominante, sed ab aliqua in ipso iusto qualitate, aut mutatione facta actu, vel habitu: adde etiam vniorem hypostaticam, vt fusiùs explicabitur 1. 2. q. 113. artic. 2. Quare nemo potest dici, aut esse iustus iustitia Christi, aut Dei, sed neque fauore illius tantum, amore, aut lege, vt ibidem monstrabitur. Cum ergo dicitur Christus, *Factus nobis sapientia, sanctificatio, & redemptio.* 1. ad Cor. 1. ad eundem modum intelligendum est, quo dicimus, Dei bonitate nos esse bonos, tanquam efficienti, & exemplari, quia in nobis efficit, quicquid est boni: tum etiam tanquam fine, *Vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus.* Prouerb. 16. Sic igitur Christus, quia merito suo sanctificationem, & redemptionem nobis comparauit, dicitur sanctificatio, sapientia, & redemptio nostra.

Denominatio iusti non est denominatio extrinseca.

13

1. ad Cor. 1.

Prou. 16.

QVÆSTIO VII.

De infinitate Dei.

Post considerationem diuinæ perfectionis considerandum est de eius infinitate, & de existentia eius in rebus. Attribuitur enim Deo quod sit vbique & in omnibus rebus in quantum est incircumscripibilis, & infinitus.

Circa primum quærentur quatuor:

ARTICVLVS I.

Virum Deus sit infinitus.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Deus non sit infinitus. Omne enim infinitum est imperfectum, quia habet rationem partis, & materie: vt dicitur in 3. Phys. sed Deus est perfectissimus, ergo non est infinitus. 2. Præterea, Secundum Philosophum in 1. Physic. finitum, & infinitum conueniunt quantitati, sed in Deo non est quantitas, cum non sit corpus, vt supra ostensum est: Ergo non competit sibi esse infinitum.

35

1. d. 43. q. 2.

1. 2. c. 1. cor.

1. 2. c. 43. Et

1. 2. q. 1. art. 2.

Et opus 3. a.

18. 19. c. 10.

3. Phys. 1. c.

66. c. 2.

1. Phys. 1. c.

15. 1. c. 2.

qu. 13. art.

L 3

Præ.

3. Præterea, Quod ita est hic, quod non alibi, est finitum secundum locum ergo quod ita est hoc, quod non est aliud, est finitum secundum substantiam: Sed Deus est hoc, & non est aliud; non enim est lapis, nec lignum: Ergo Deus non est finitum secundum substantiam.

*Lib. 1. orib.
fido 1. 4.*

Sed contra est quod dicit Damas, quod Deus est infinitus, & æternus, & incircumscriptibilis.

*3. Physic.
tex. 30. 10. 1.*

Respondeo dicendum, quod omnes antiqui Philosophi attribuunt infinitum primo principio, ut dicitur in 3. Physic. Et hoc rationabiliter considerantes res effluere à primo principio in infinitum. Sed quia quidam errauerunt circa naturam primi principij, consequens fuit, ut errarent circa infinitatem ipsius, quia enim ponebant primum principium materiã, consequenter attribuerunt primo principio infinitatem materialem, dicentes aliquod corpus infinitum esse primum principium rerum. Considerandum est igitur, quod infinitum dicitur aliquid ex eo quod non est finitum: finitur autem quodammodo & materia per formã, & forma per materiam. Materia quidem per formam, in quantum materia, antequam recipiat formam, est in potentia ad multas formas, sed cum recipit vnã, terminatur per illam. Forma vero finitur per materiam, in quantum forma in se considerata communis est ad multa, sed per hoc quod recipitur in materia, fit forma determinate huius rei. Materia autem perficitur per formam, per quam finitur: & ideo infinitum secundum quod attribuitur materiæ, habet rationem imperfecti: Est enim quasi materia non habens formam. Forma autem non perficitur per materiam, sed magis per eam eius amplitudo contrahitur: Vnde infinitum, secundum quod se tenet ex parte formæ non determinatæ per materiam, habet rationem perfecti. Illud autem, quod est maxime formale omnium, est ipsum esse, ut ex superioribus patet, cum igitur esse diuinum non sit esse receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens, ut supra ostensum est: manifestum est quod ipse Deus sit infinitus, & perfectus. Et per hoc patet responsio ad primum.

*2. 4. 1. 1.
2. 4. 3. 1. 1.*

Ad secundum dicendum, quod terminus quantitatis est sicut forma ipsius: cuius signum est, quod figura, quæ consistit in terminatione quantitatis, est quædam forma circa quantitatem. Vnde infinitum, quod competit quantitati, est infinitum, quod se tenet ex parte materiæ, & tale infinitum non attribuitur Deo, ut dictum est.

In cor. 1. 1.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc ipso quod esse Dei est per se subsistens non receptum in aliquo, prout dicitur infinitum distinguitur ab omnibus aliis, & alia remouentur ab eo. Sicut si esset albedo subsistens, ex hoc ipso, quod non esset in alio, differret ab omni albedine existente in subiecto.

Conclusio est: Deus est infinitus.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquid aliud quam Deus possit esse infinitum per essentiam.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod aliquid aliud quam Deus possit esse infinitum per essentiam. Virtus enim rei proportionatur essentia eius. Si enim essentia Dei est infinita, oportet quod eius virtus sit infinita, ergo potest producere effectum infinitum, cum quantitas virtutis per effectum cognoscatur.

*36
2. 4. 1. 1.
2. 4. 3. 1. 1.
43. 1. 1. 1.
Met. 10. 10.*

2. Præterea, quicquid habet virtutem infinitam, habet essentiam infinitam: sed intellectus creatus habet virtutem infinitam: apprehendit enim vniuersale, quod se potest extendere ad infinita singularia: Ergo omnis substantia intellectualis creata est infinita.

3. Præterea, Materia prima aliud est à Deo, ut supra ostensum est, sed materia prima est infinita: Ergo aliquid aliud præter Deum potest esse infinitum.

*2. 4. 3. 1. 1.
2. 4. 3. 1. 1.*

Sed contra est, quod infinitum non potest esse ex principio aliquo, ut dicitur in 3. Physic. Omne autem, quod est præter Deum, est ex Deo, sicut ex primo principio: Ergo nihil quod est præter Deum, potest esse infinitum.

*3. 1. 1. 1.
30. 10. 1. 1.*

Respondeo dicendum, quod aliquid præter Deum potest esse infinitum secundum quid, sed non simpliciter, si enim loquamur de infinito, secundum quod competit materiæ, manifestum est quod omne existens in actu habet aliquam formã, & sic materia eius est determinata per formam. Sed quia materia secundum quod est sub vna forma substantiali, remanet in potentia ad multas formas accidentales, quod est finitum simpliciter, potest esse infinitum secundum quid, ut potest lignum esse finitum secundum suam formam, sed tamen est infinitum secundum quid, in quantum est in potentia ad figuras infinitas. Si autem loquamur de infinito secundum quod conuenit formæ, sic manifestum est, quod illa, quorum formæ sunt in materia, sunt simpliciter finita, & nullo modo infinita. Si autem sunt aliquæ formæ creatæ non receptæ in materia; sed

per

per se subsistentes, ut quidam de Angelis opinantur, erunt quidem infinitæ secundum quid, in quantum huiusmodi formæ non terminantur, neque contrahuntur per aliquam materiam: sed quia forma creatæ sic subsistens habet esse, & non est suum esse, necesse est, quod ipsum eius esse sit receptum, & contractum ad terminatam naturam. Unde non potest esse infinitum simpliciter.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc est contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum esse eius: quia esse subsistens non est esse creatum: unde contra rationem facti est, quod sit simpliciter infinitum. Sicut ergo Deus, licet habeat potentiam infinitam, non tamen potest facere aliquid non factum: hoc enim esset, contradictoria esse simul: ita non potest facere aliquid infinitum simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod hoc ipsum, quod virtus intellectus extendit se quodammodo ad infinita, procedit ex hoc, quod intellectus est forma non in materia, sed vel totaliter separata, sicut sunt substantiæ Angelorum, vel ad minus potentia intellectiva, quæ non est actus alicuius organi in anima intellectiva corpori coniuncta.

Ad tertium dicendum, quod materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum: unde magis est aliquid concretum, quam creatum. Nihilominus tamen materia prima etiam secundum potentiam non est infinita simpliciter, sed secundum quid: quia eius potentia non se extendit, nisi ad formas naturales.

Explicatio viri quæ articuli.

CONCLUSIO est: Nihil præter Deum potest esse infinitum simpliciter, tamen si aliquid sit infinitum secundum quid. Appellat S. Thomas infinitum secundum quid, quod vocari solet infinitum in potentia: Cumque in his duobus art. quæstio non sit de infinito secundum quantitatem, de hoc enim tractat art. 2. & 4. sed de infinito secundum esse, aut per essentiam, ut patet ex titulo art. 2. & ex 1. argumentum, ipsius, illud dicitur à S. Thoma in hoc art. 1. infinitum secundum quid, hoc est, in potentia, non quod potest sine termino secundum numerum, vel secundum quantitatem augeri; sed id, quod ita habet esse determinatum per aliquam formam, ut fit in potentia ad alias sine fine. Talem inquit S. Thom. in art. 2. esse materiam, quæ licet una tantum forma determinetur ad esse huius, semper manet in potentia ad recipiendum aliam, & aliam in infinitum. Infinitum autem simpliciter non intelligit S. Thomas secundum quantitatem, sed secundum esse, vel essentiam. Conclusio ergo art. 2. sic explicata illustrat conclusionem art. 1. Quare utriusque art. doctrina hac unica propositione potest comprehendi: Ita est proprium Dei esse infinitum

simpliciter per essentiam, & secundum esse, ut alteri rei convenire nequeat. Nam cum in art. 1. inquit S. Doctor Deum esse infinitum, intelligit absque dubio per essentiam de qua infinitate querit in 2. an ita sit proprium Dei, esse infinitum, ut alteri non conveniat. Dubium autem esse non poterat de infinito secundum quantitatem, constabat enim ex q. 3. Deum non esse corporatum, ac proinde nec quantitate præditum.

DISPUTATIO XXV.

Quo pacto sit proprium Dei, esse infinitum per essentiam.

Quidam rationem infinitatis Dei ex infinitis attributis explicant, cap. 1.

Deum esse infinitum, quod esse illius in nullo recipiatur, nonnulli senserunt, cap. 2.

Infinitatem Dei aliqui explicant ex eo, quod non collocetur sub genere, cap. 3.

Duobus alijs modis infinitatem Dei exponit Albertus, cap. 4.

Vera ratio infiniti secundum essentiam est, non esse ab alio, cap. 5.

CAPVT I.

Quidam rationem infinitatis Dei ex infinitis attributis explicant.

Scholastici omnes in 1. d. 43. in conclusione 2. art. consentiunt, asserentes Deum ita esse infinitum per essentiam, ut hæc infinitas nulli alteri possit convenire, imo & Philosophus 3. Phys. c. 4. text. 30. ex mente Anaximandri, & naturalium philosophorum tradit primum principium rerum omnium infinitum esse, sed genus infinitatis illius non explicat, neque Scholastici nostri in eo assignando conveniunt. Enumerabimus igitur singulorum sententias, & postremo nostram subiiciemus. Primum nonnulli recentiores rationem infinitatis secundum esse, quam dicunt, nulli creaturæ, sed soli Deo convenire, explicant ex infinitis perfectionibus, & attributis, quæ Deo assignari solent. Cum enim perfectiones Dei dicantur infinitæ, & ipse etiam Deus infinitus secundum essentiam erit.

Hæc tamen sententia, quo magis vulgaris, & popularis est, eo minus probabilitatis momento fulcitur: nam, ut patebit ex disp. 116. & sequentibus, Dei essentia ita est simplex secundum rem, ut unicam tantum perfectionem essentialem in se habeat, quamvis ratione sola hominis viatoris plures in eo perfectiones, & attributa distinguantur: Nullus autem distinguere valet infinitas in Deo perfectiones: hæc ergo sola ratione non debemus infinitatem simpliciter secundum esse, aut essentiam Deo tribuere.

Respondet aliquis, ea de causa Deum esse infinitum secundum essentiam, quod in se fundamentum habeat, ut sine numero perfectiones per intellectum viatoris ipsi assignentur. Hoc tamen responsum refellitur primum, quia non constat, utrum excogitari possint infinitæ perfectiones possibiles in creaturis, quæ secundum se considerata, ita sint simpliciter simplices, ut Deo possint attribui: nam quamvis sint infinitæ creaturæ possibiles specie distinctæ, quod adhuc in opinione positum est: nullus tamen affirmare potest esse infinitas perfectiones possibiles harum creaturarum, quæ secundum se Deo quoque convenire possint: neque enim omnis perfectio creaturarum etiam secundum